



Disputatio juridica inauguralis de senatus-consulto macedoniano

<https://hdl.handle.net/1874/347240>

27.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SENATUS - CONSULTO
MACEDONIANO,

QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq; Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU LICENTIÆ
Summisq; in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subicit
JACOBUS DE BYE, HAGA-BATAVUS.
A.D. II. Julii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc LXXXIX.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ALEXANDRIA
D.

SENATUS CONSULTO
MACEDONIANO.

AVVENTE DEO TER OPT. MAX.

D. HERMANNI VAN HALEN.

Es. Theologiae Doctor, studii in Leydy Academi
Universitatis Professor Ordinarius, Medicus Divini in
Leculis Praeconis.

PRO GRADU LICENTIAE

PRO GRADU LICENTIAE
SUMMUS IN UTROQUE JURE HONORIS PRIVILEGIUM
HABENS ET ALIIS CONSEQUENS

JACOBUS DE BUE, Haec-Bavarum



TRAJECTI ad RHENUM.

Ex Officina FRANCISCI HALMAE, Academicis
Typographi, ob hoc LXXVII.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
SENATUS-CONSULTO
MACEDONIANO.

THESIS I.



Uibus temporibus originem suam debet hoc S^Ctum, inter se non conveniunt Doctores; asserit enim Petrus Fab. i. semest. ult. Imperatoris Claudii temporibus factum fuisse Claudio 4. & Vitellio 3. coff. A. V. C. 799. cui favet sententia Taciti in lib. xi. Ann. cap.

13. his verbis *Claudius lege lata sevitiā creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filijsfam. fœnori darent.* Briffonius aliique id ad Vespasiani tempora referunt, auctore Suetonio in Vespas. vita cap. xi, verbis, *Auctor senatui fuit, decernendi, ne filiorum fam. fœneratoribus exi-*

4 DISPUTATIO JURIDICA

gendi jus crediti unquam esset, hoc est ne post patrum quidem mortem. Quibus ex locis apparet, sententia eorum verior videri qui hujus Senatusconsulti originem ad Claudii imperium referunt, quid enim vetat dicere legem ea de re latam fuisse sub Imperatore Claudio, repetitam vero sub Vespasiani imperio hoc Senatusconsulto Macedoniano. Nomen autem accepit, non ut pleraque senatusconsulta, quæ nomina sua habent ab iis *coff.* quibus ea de re verba in senatu facientibus, in eorum sententias *SCta* fiebant: ut *SCtum Trebellianum l. 1. §. 1. D. ad S. C. Trebell. Pegasianum §. 5. Inst. de fid. hered. & ad SCtum Trebell. Orphitianum princ. Inst. ad SCtum Orphit. Vellejanum l. 2. §. 1. D. ad SCtum Vellej.* & plura alia, quæ passim in corpore juris inveniuntur; sed ab improbo aliquo sceneratore, cui nomen Macedo fuit, ut indicant verba, *cum inter ceteras sceleris causas Macedo l. 1. princ. D. h. t.* qui malis suis moribus optimæ legi occasionem dedit. Non semper nomina sua a *coff.* acceperunt, ut ex præmissis patet; habuerunt aliquando ab ipsa re, de qua caverent, ut nobile illud *SCtum prætextatum* in honorem Papirii prætextati factum, de quo *Macrob. lib. 1. sat. c. 6. & Aul. Gell. noct. att. lib. 1. cap. 23.* ut & *SCtum tacitum*, quo senatores omnium censualium scribarumque officia, complere jubebantur, ne quid proderetur, de quo *Capitolinus in Gordianis.* Fuerunt & alia *SCta* sc. anonyma, quæ propria non habuerunt nomina, ut *SCtum* quo prohibentur legati ante perfectam legationem negotiis vel privatis rebus obstringi *l. 12. D. de legationibus*, & similia; qua de re latius *Barn. Briss. de Verb. sign.* II. His

III

His præmissis, videndum erit quid hoc SCto continetur, cujus verba habentur in *l. 1. p. D. h. t.* & ita sonant.

*Cum inter cæteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam æs alienum adhibuisset, & sæpe materiam peccandi malis moribus præstaret. Qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crederet: placere, ne cui qui filio familias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitioque daretur; ut scirent qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filius familias bonum nomen expectata patris morte fieri; summa ergo istius SCti huc redit, quod si quis filio-familias mutuam pecuniam dedisset, nulla ipsi actio petitioque erit, etsi post patris mortem eam instituat *l. 1. princ. D. h. t. §. penult. Inst. quod cum eo qui in alien. potest.* Ratio fuit ne filii-fam. quia sæpe inconsulta levitate æs alienum incertis nominibus contrahebant, ac in luxuriam consumebant, post egen-tes & obæratæ vitæ parentis insidiabantur, ut mortuis iis heredes facti mutuam reddere & creditorum flagitationibus satisfacere possent *l. 1. & l. 3. §. 3. D. h. t. §. 7. Inst. quod cum eo qui in alien. post.* melius enim est contractari juveniles calores, ne cupidini dediti, tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium *l. 8 §. 5. D. de bon. q. lib.**

III.

Quid per incerta nomina intelligi debeat, adeo plannum non est; nonnulli ea significare putant debita, quorum causæ titulique non sunt expressi, ne improbitas eorum fiat manifesta; alii vero per incerta nomina intelligunt debita conditionalia, quæ ante existentem conditionem mala sunt, ea vero existente bona fiunt, quæ posterior significatio verior videtur & cui favent ultima verba hujus SCti. Nullius posse filii-familias bonum nomen expectata patris morte fieri. Mortuo enim patre conditio exisitebat, adeoque creditor idoneus fiebat id quod JCrī bonum nomen dicere solent. *l. 21. §. 3. de ann. leg.*

IV.

Ut ordine nostra quidem procedat disputatio videndum erit primo adversus quos hæc exceptio locum habeat, porro quid sit objectum, tertio quibus competat, quarto quid sit effectus, & denique quibus casibus cesset.

V.

Nihil interest quis filio-fam. crediderit, utrum privatus an civitas *l. 15. D. h. t.* quamvis generaliter civitates jure minorum gaudeant *l. 4. C. quib. ex caus. major. in integ. l. 3. C. de jur. reipub.* quibus hæc exceptio opponi nequit *l. 11. §. ult. D. de min.* ob restitutionem in integrum, *ut magis*, inquit Ulpianus in *d. §. ult. ætatis ratio quam SCti habeatur.*

VI. Quid

V I.

Quid autem hoc SCto mutuo dari prohibeatur, habetur in *l. 3. §. 3. & l. 7. §. 3. D. h. t.* nempe pecunia, qua appellatione tantum continetur pecunia numerata *d. l. 7. §. 3.* quæ ibi in strictiori significatione sumitur, quam in *l. 178. & 222. D. de verb. sign.* ubi illa vox sub se comprehendit omnes res tam mobiles quam immobiles, tam corporales quam incorporales. Quamvis enim in mutuum & aliæ res in pondere numero & mensura consistentes, veluti oleum, vinum, frumentum deducantur *princ. Inst. quib. mod. re contrah. obl.* verba tamen SCti ad numeratam pecuniam referri videntur *l. 7. §. 3. D. h. t.* quia pecuniæ datio parentibus eorum perniciofa visa est *l. 3. §. penult. D. eod.* Qui vero alias contraxit, puta vendidit, locavit, minime contra SCtum facere intelligitur *dd. ll. modo nihil factum sit in fraudem SCti l. 3. §. 3. D. h. t.* puta frumento vel oleo mutuo dato, ut filiusfam. ex ejus venditione pecuniam redigeret qua uteretur *l. 7. §. 3. D. h. t.* non videtur etiam contra SCtum facere qui mutuum pecuniam promisit filiofam. & tum demum dedit cum paterfam. fuerit factus, numerationis enim tempus inspiciendum est *l. 3. §. ult. D. h. t.*

V I I.

Nomine filii-fam. hic non tantum masculi, sed & fœminæ continentur, ut filiafam. quamvis ex pecuniis creditis ornamenta comparaverint *l. 9. §. 2. D. h. t.* non tantum primi, sed & ulterioris gradus, ut nepotes nep-
telve

8 DISPUTATIO JURIDICA

tesve & cæteri in potestate constituti *l. 14. D. h. t. l. penult. §. 1. C. eod.* nec refert frugi sit filius-fam. an non, magistratus an privatus, nisi castrense aut quasi castrense peculium habeat, ad cujus quantitatem placeat cessare S^Ctum quia in eo vice patrisfam. fungitur *l. 1. §. ult. D. h. t. l. 2. D. eod.* qua de re postea dicendum. Quod dixi de filiofam. in dignitate constituto, nonnihil limitandum est secundum jus novissimum, quo quævis dignitas, quæ a curia liberat, patriam potestatem tollit *Nov. 81. cap. 1. §. 1.* quod olim tantum patritiatus dignitas fuit *§. 1. Inst. quib. pat. pot. solv. l. 18. in fin. D. de judiciis* hinc ergo fluit quod dignitas, quæ patriam potestatem ipso jure non tollit, non potest facere quo minus S^Ctum locum habeat. Vid. Boekel. ad hunc tit.

V I I I.

Prodest hoc S^Ctum i. omnibus, qui in patriam potestatem existentibus mutuam pecuniam acceperunt, sine discrimine sexus aut gradus, ut supra dictum, ut & iis qui morte parentis vel emancipatione sui juris esse cœperint, nam ideo non magis bonum nomen fiebat (id est debitum utile quod jure exigere potest) *l. 1. in fin. princ. D. h. §. penult. Inst. quod cum eo qui in alien. pot.* nec interest consumpti sint nummi nec ne *l. 9. §. 2. D. h. t.* aut quando conveniantur sive ante sive post patris mortem *l. 1. princ. D. h. t.*

Secundo prodest patri, qui proinde ex hoc contractu actione de peculio conveniri nequit, vel hac exceptione eam elidere potest *l. 7. §. 10. D. h. t.* potest etiam

etiam pecuniam a filio-familias ex peculio adventitio solutam condicere. *l. 9. §. 1. D. h. t.* Tertio prodest fidejussoribus & aliis, qui fidem suam pro filio-fam. pecuniam accipiente interposuerunt, ut mandatores, qui mandati habent regressum, ne, quod una via denegatur, altera consequatur improbus creditor in elusionem S^CTi *l. 9. §. 3. D. h. t.* nisi forte donandi animo intercesserint, tunc enim cum nullum regressum habeant, S^CTum locum non habebit *d. l. 9. §. 3.*

Denique prodest heredibus omnium eorum, quos supra enumeravimus *l. 7. §. 10. D. h. t.*

I X.

Opponitur hæc exceptio, quamvis sit peremptoria, quovis tempore tam ante quam post rem judicatam ad exemplum mulieris intercedentis *l. 11. D. h. t.* unde, cum hæc exceptio sit odiosa, non poterit ei filiusfam. renuntiare, quia magis in utilitatem publicam, favorem, securitatemque patris, & odium sceneratorum introducta est, quam in gratiam filii-fam. *l. 1. D. h. t.* juri enim publicæ utilitatis causa statuto renuntiare non potest privatus *l. 7. §. 14. D. de pact. l. 38. D. eod.* quisque tantum favori pro se introducto renuntiare potest *l. penult. C. de pact.* ut mulier S^CTi Vellejano, in cujus favorem introductum est *l. ult. §. penult. D. ad. S^CTum Vellej.* At si renuntiatio filii-fam. admitteretur, hujus S^CTi exceptio nullum haberet effectum; semper enim improbus filius ad renuntiandum esset paratus, & scenerator ad id facile ipsum induceret. vid. Gothof. de jen. tract. de S^CTi Maced. *sect. 6.*

B

apl. 7.

10 DISPUTATIO JURIDICA

aph. 7. æque minus valet renuntiatio jurejurando confirmata, quia occasionem delinquendi daret, nimirum vitæ insidiandi patris, in quo consistit ratio concessæ exceptionis, jusjurandum enim sequitur naturam actus, cui apponitur *l. fin. C. de non. num. pecun. l. 5. C. de ll.*

X.

Effectus hujus SCti est, quod irritam faciat civilem obligationem, omnemque actionem petitionemque creditoribus deneget, si quid contra SCtum factum esse appareat *l. 1. in fin. princ. D. h. t.* hoc est tam actionem in personam, quam in rem *l. 178. de V. S. l. 25. l. 28. D. de O. & A.* voluit enim senatus creditores coercere ne possent pecuniam existantem vindicare, consumptamque condicere. An etiam naturalem obligationem tollat? non videtur ob *l. 10. D. h. t.* potest enim novari *l. 2. C. h. t.* impeditque conditionem indebiti *l. 7. §. ult. l. 9. §. ult. D. h. t.* unde patet hoc contractu ipso jure oriri actionem, quæ hac exceptione eliditur *l. 7. in princ. & §. 1. cum seqq. & l. 11. D. h. t. l. 40. D. de condict. indebit.* Hic quæri potest an filius-familias in animæ judicio teneatur ad solutionem mutuatæ sibi pecuniæ? affirmantium opinio verior videtur, cum nemo potest locupletari damno & injuria alterius *l. 14. D. de cond. indeb. l. 206. D. de reg. jur.* naturalis tamen submovet ratio, si creditor ipsi pecunias ad profusionem & luxum sciens subministravit, omnino filium-fam. tutum esse in foro conscientiæ *Co. var. ad c. quamvis §. 1. Wames cent. 2. conf. 39. Tulden. ad tit. C. de SCto Maced. num. 4. quo referendum illud Plauti in Trinummo act. 1. scen. 1.*

Dedisti

*Dedisti ne hoc pacto ei gladium, qui se occideret,
 Quid secus est, aut quid interest, dare te in manum
 Argentum amanti homini adolescenti, animi im-
 poti,
 Qui ex ædificaret suam inchoatam ignaviam.*

X I.

His prælibatis, aggredior causas, ob quas hoc SCtum Macedonianum locum non habet, quamvis constet filio-fam. mutuam pecuniam creditam esse; quæ causæ ad tria capita facile redigi possunt. Causæ autem primi capitis dicuntur ex persona filii-fam. cui pecunia data est, secundi vero capitis nascuntur ex persona patris, tertii denique capitis ex causa, ob quam filius-fam. mutuum sumpserit pecuniam, ductæ sunt.

X I I.

Ex primo capite, nempe ratione filii-fam. cessat hoc SCtum I. si habeat castrense, aut quasi castrense peculium *l. 1. §. ult. D. h. t.* ut si sit miles, aut advocatus, aut si aliquo alio officio publico fungatur, non tamen ultra vires peculii tenetur, cum eatenus vice patrum familiarum tantum fungitur *l. 2. D. h. t.* At postea de filio-fam. in armata militia militante generaliter cautum fuit, ut huic credi pecunia liberè & indistinctè possit, ut & pater eo nomine obstringatur, etiamsi non habeat castrense peculium, aut si habeat, multum ejus quantitatem excedat *l. ult. §. ultim. C. h. t.* præsumitur autem miles nunquam in aliud quidquam pecuniam accipere, aut expendere, nisi in

12 DISPUTATIO JURIDICA

causas castrenses; Arma enim sunt adeo militis membra, quod dixit Cicero Tuscul. 12. ut miles, qui ea alienaverit, aut etiam in bello amiserit, militiam mutare debeat *l. 3. l. 13. D. de remilit.*

X I I I.

Secundo placet cessare hoc S C t u m, si filius-fam. per mendacium se patrem-fam. esse dixcrit, nec creditor aliunde sciverit, aut scire potuisset eum filium-fam. esse *l. 1. C. h. t. junc. l. penult. D. eod.* jura enim deceptis, non decipientibus subveniunt. Tertio, si publico errore pro patre-fam. habitus fuerit *l. 3. princ. D. h. t.* qui error noscitur ex vulgata opinione & fama, qua filius-fam. pro patre-fam. passim habebatur, quia sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur *d. l. 3. §. l. 2. C. h. t.* secus si a quibusdam tantum veluti si cum duo creditores essent, alter eorum sciverit, alter ignoraverit eum esse filiumfam. in utroque obtinebit hæc exceptio *l. 7. §. 7. D. h. t.* non quod scientia unius alteri noceat, sed propter conjunctionem obligationis *l. 2. D. de duob. reis §. 2. Inst. eod.*

X I V.

Quarto placet hoc S C t u m cessare ratione filii, si fidejusserit, nisi hoc factum sit in fraudem decreti amplissimi ordinis *l. 7. princ. §. 1. D. h. t.* quinto cessat in filio, qui vectigalia publica conduxit, nisi fuerit minor, causa enim cognita in integrum restitui potest *l. 3. §. 1. §. 2. D. h. t.* sexto si filius-fam. postea pater-fam. factus

factus partem debiti solverit, de residuo conveniri potest; nam per partis solutionem totum debitum agnovisse intelligitur *l. 7. §. ult. D. h. t. l. 2. C. eod.* quamvis aliter obtineat in pignore; qui enim pignus debito vilius dederit, tantum usque ad quantitatem pignoris tenebitur, quoniam pignus nunquam in solutum datur *l. 9. princ. D. h. t.*

XV.

Ex secundo vero capite, nempe ratione patris, nullam vim habet hæc exceptio, si filius-fam. voluntate patris mutuam pecuniam acceperit *l. 2. C. h. t.* quæ voluntas tacita, vel expressa est; tacita nempe, si filius-fam. mutuam pecuniam acceperit sciente patre, cum non contradiceret; expressa vero, si jussu vel mandato patris mutuam acceperit *l. ult. C. h. t.* idem etiam obtinet, si pater filio jusserit credi, deinde ignorante creditore mutaverit voluntatem, nam hic initium contractus spectandum est, non eventus *l. 12. in fin. D. h. t.* vel, ut inquit Imperator, origo potius obligationis, quam titulus actionis considerandus est *l. 3. in fin. C. eod.* Porro cessat hoc SCtum, non tantum si filius-fam. mutuam acceperit voluntate patris, sed & etiam si ex postfacto pater contractum ratum habuerit *l. 7. C. h. t.* quamquam juris regula dicat, quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *l. 29. D. de R. 7.* hæc enim ratihabitio minime ad hanc regulam pertinet, quia Imp. in *d. l. 7.* mandato comparari voluit & retrahi ad tempus creditæ pecuniæ. Denique cessat ex hoc capite, si pater filium fecerit insti-

torem *l. 7. §. II. D. h. t.* quoniam patris voluntate videtur contractum, institor enim non suo nomine, sed ejus, qui eum præposuit, se obligat, & ex facto institoris solius dominus tenetur si ei hoc gerere permisit *l. 5. §. II. D. de tribut. act.* ex qua vero persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet *l. 149. D. de reg. jur.*

X V I.

Ex tertio denique capite, nempe ratione causæ, ex qua filius-fam. mutuam pecuniam sumpsit, irritum sic hoc SCtum 1. si pecunia ipsi data sit, ut solveret ei, cui ex contractu valido solvere debebat *l. 7. §. 14. D. h. t.*
 2. si pecunia ipsi data in rem patris versa sit *d. l. 7. §. 12.* in rem patris versa intelligitur, si filius-fam. creditoribus patris solverit *l. 17. D. eod.* licet ab initio eo animo mutuum non acceperit, postea tamen in rem patris verterit, nullam vim hoc SCtum habebit *d. §. 12. l. 7.*
 3. si studiorum causa absens filio-fam. pecunia data sit ad sumptus necessarios, quos patris pietas non recusaret, quia in rem patris versa intelligitur *l. 7. §. 13. D. h. t. l. 5. C. eod.* & denique si ad dotandam sororem acceperit nummos *l. 17. D. h. t.*

COROLLARIA.

I.

Legatum recte definitur in *S. 1. Inst. de legatis* quod sit donatio quadam a defuncto relicta ab herede prestanda.

II.

Princeps legibus est solutus.

III.

Minor viginti quinque annis potest esse procurator ad lites.

IV.

Contractus in testamento celebrari nequit.

V.

Negotiorum gestor tenetur de culpa levissima.

F I N I S.

COROLLARIA

I

Legatus recte dicitur in 2. r. Inst. de
legatis quod sit donatio quodammodo de
iure relicta ab herede prestante.

II

Principis legibus est solutus.

III

Minor viginti annis potest esse

procurator ad litem.

IV

Contractus in testamento celebrari non possunt.

V

Negotiorum gestor tenetur de culpa leviss.

F I N I S